












FABULA
PYRAMI & THISBES,

Ex

METAMORPHOSEΩN

LIB. IV.



AMSTELAEDAMI,

Apud JOANNEM RIEUWERTS, Urbis & Illustris Athenaei Typographum.

CIϽ IϽ CLXXXIX.

PETRVS FRANCIVS
Lectori S.

En tibi, quisquis es tandem, qui hisce deliciis caperis, benevole ac benigne Lector, quartum studii nostri Poëtici documentum. Si quid profecerimus, tuum est pronuntiare, non nostrum. Me certe laboris mei non poenitet, & ostendisse me omnibus puto, quam necessaria sint exercitia ista, & quid in hoc studiorum genere praestare hi possint Juvenes, si ea, quam inchoarunt, progredi via volent. Addidi de meo aliquid, ut accenderem eos magis, ac palam facerem omnibus, quo pacto non inepte fortasse nec moleste admodum ejusmodi à junioribus tractari materiae possent. Neque est sane, cur id factum nolim, non quod aliquam ex mustaceo mihi isto laureolam quaeram, putidulum id enim foret, neque istiusmodi certe me gloria indigere puto, sed ut haberent exemplum illi, quod sequi, si vellent, possent. Fecit id ante me Scaliger, & hoc exercitii genere cum Daniele contendere Heinsio

non erubuit Adolescentulo Senex: Fecit Jacobus Wallius, utcunque liberius paullulum, & Horatianam suam Paraphrasin aliis in exemplum proponere, ac Poëmatibus suis inserere non dubitavit. Recte an secus, non disputo. Ego certe non indecorum mihi, nec inglorium futurum existimo, quod viris istis clarissimis laudi & honori fuit. Vale, benigne Lector, & conatibus hisce nostris favere perge.



F A.

FABULA
PYRAMI & THISBES.

EST caput Assyriæ Babylon, notissima famâ
Regia Persarum, regia dives opum.
Dicitur hanc muris cinxisse Semiramis olim
Coctilibus, summam turribus ante suis.
Pyramus & Thisbe generoso sanguine nati
Una contiguas hic habuere domos.
Quam juvenis juvenes, tam vicit & illa puellas,
Mutuus his longo tempore crevit amor.
Hos, quod non poterant, stulti vetuere parentes
Legitimum socii fœdus inire thori.
Ignibus ardebant castis, custode remoto,
Per faciles nutus signa silenda dabant.
Cœperunt tectæ multo magis urere flammæ,
Omnia dum penitus membra tenebat amor.
Fissus erat parvâ paries, ab origine, rimâ
Utraque quam quondam duxerat illa domus.
Id vitium nemo jam tot per sæcula sensit,
(Quid non subtilis, dicite, sentit amor?)
Primus amor sensit rimam, tutumque per illam
Blanditiis sermo junctus habebat iter.
Invide quid nostrum paries disjungis amorem
Conveniens solito dixit uterque loco.
Quantum erat ut sineres corpus nos jungere totum
Oscula vel saltem mutua posse dare.
Nec sumus ingrati; quod vox mea verberat aures
Illius, atque meas illius, omne tuum est.

Sub noctem dixere vale. poſt talia ſæpe
Parti tradebant oſcula quiſque ſuæ.
Sidera deſerto fugerunt omnia cælo,
Ad ſolitum vigiles hi rediere locum. (tur,
Murmure tunc parvo ſtatuunt, dum multa querun-
Cuſtodes tacitâ fallere nocte ſuos.
Hinc utriuſque domos, urbiſque relinquere tecta,
Ut peterent noctu buſta ſuperba Nini.
Arbor ibi pomis, fæcundo proxima fonti,
Fertilior niveis, ardua morus erat.
Pacta placent: (odioſa mora eſt properantibus omnis)
Hinc credunt tardum tardius ire diem.
Callida per noctem Thisbe ſua tecta relinquit:
Cuſtodes, verſo cardine, fallit amor.
Pervenit ad tumulum, vultum velamine tecta,
Conſidet & dicto, fronde adoperta, loco.
Hic, ait, exſpectem ſponſum, terrore remoto,
Audax audacem nam faciebat amor.
Feſſa novâ de cæde boum venit, ecce, leæna
Fontis aqua gelidi depoſitura ſitim.
Quam ſimul aſpexit lunæ per lumina Thisbe
Obſcuram timide mox petit inde ſpecum.
Dum fugit, & pedibus timidis metus addidit alas,
Perdidit ex humeris tegmina lapſa ſuis.
Invenit hæc ſubito, laniavit & ore cruento,
Dum repetit latebras ſæva leæna ſuas.
Pyramus egreſſus poſt hanc, veſtigia vidit
Certa feræ: tinxit pallidus ora color.
At quando veſtem conſpexit ſanguine tinctam,
Nox, clamat, comites auferet una duos.

E qui-

E quibus illa tamen (modo si sua fata tulissent)
Producto vitæ tempore digna fuit,
Hæc mea culpa fuit, te jussi nocte venire,
Nec prior huc veni, quæ mea culpa fuit.
Te, fateor, Thisbe, te Pyramus ipse peremi,
Nam loca plena feris sunt loca plena metus.
Ursa, Leæna, Leo, Tigris divellite corpus
Et mordete fero viscera dente mea.
Sed timidi mortem cupiunt: velamina Thisbes
Tollit, & ad dictum pertulit illa locum.
Dumque suis lachrymis udæ dedit oscula vesti,
Tu quoque nunc, dixit, tingere cæde meâ.
Dixit, & eductum ventri mox ingerit ensem,
Quoque tegat vitam, perdidit ille, suam.
Mox cruor exsultat juvenis morientis in altum,
Haud secus ac fontes ejaculantur aquas.
Et nigros fructus, contactu sanguinis, arbor
Moraque purpureo tincta colore dabat.
Plena timore redit Thisbe, ne fallat amantem,
(Spes bona dat vires) ecce puella redit.
Illa oculoque suos, & mente requirit amores,
Et gestit casus posse referre suos.
Hæret in ambiguo, num sit, quam quæreret, arbor,
Arboris incertam sic facit ille color.
Dum dubitat, resupina solum pulsare cruentum
Membra videt: retro mox tulit illa pedem.
Obstupuit, gelidusque tremor sua concutit ossa,
Membraque sunt subito pallida facta metu.
Sed, postquam remorata suum spectavit amicum,
Commiscet lachrymas mœsta cruore suas.

Flere libet, lachrymas in vulnera fundit amantis,
Vultibus & gelidis oſcula multa dabat.
Implevit ſylvam querulis ululatibus omnem;
Quæ tibi, clamabat, quæ tibi cauſa necis?
Quid faciam? quo ſola ferar? mihi Pyrame, dixit,
Pyrame reſponde, te tua ſponſa vocat.
Morte graves oculos effert ad nomina Thisbes
Pyramus, hac viſâ claudit & ille ſuos.
Vaginâ vacuum Thisbe cum viderat enſem,
Perdidit, exclamat, te mihi fida manus.
Eſt mihi, ſitq; precor, manus hoc mea fortis in unum,
Et vires dabit in vulnera fidus amor.
Te ſequar extinctum, tua ſim, tua dicar oportet,
Et dicar lethi cauſa comeſque tui.
Venimus huc ambo, merito ſuccumbimus ambo,
Non ego divelli corpora morte ſinam.
Attamen ô Miſeri nobis utriſque parentes
(Cætera non potui) jam moribunda precor,
Ut tumulo jungi non invideatis in uno,
Quos demum junxit morte fidelis amor.
At tu, quæ corpus miſerabile frondibus, arbor,
Nunc tegis unius, mox duo juncta teges.
Cædis habe ſignum, fructuſque & luctibus aptos
Semper habe frondes, funeris omne decus.
Sanguine adhuc tepidum mergebat in ilia ferrum,
Vota tamen patres & tetigere Deos.
Arboris eſt fructus, cum permaturuit, ater:
Et tumulus cineres unus, & oſſa, tenet.

CHRISTIANUS COCQ.

F A-

FABULA
PYRAMI & THISBES.

Contiguos Babylone ſuâ tenuere penates
 Pyramus & Thisbe, contiguaſque domos,
Pulchrorum juvenum pulcherrimus ille, puellis
 Quas Oriens habuit, pulchrior illa fuit.
Ipſa gradus primos vicinia fecit amori,
 Notitiamque dedit: tempore crevit amor.
Nec mora longa, pari tædarum jure cöiſſent;
 Sed vetuere, licet non potuere, patres.
Ex æquo incenſis ardebat uterque medullis:
 Nutus verba notant, mutaque ſigna ſonos.
Arbiter omnis abeſt. Paſcit novus ignis amantes;
 Quoque tegunt magis hunc, æſtuat ille magis.
Communis tenuem paries diduxerat olim,
 Cum fieret, rimam; rimaque tecta fuit.
Tandem, cum vitium per ſæcula nemo notaſſet
 Longa, ſuo primus lumine vidit amor.
Vos, inquam, primi rimam ſenſiſtis, Amantes,
 Vocibus & veſtris dulce paraſtis iter.
Murmure quam minimo tutæ tranſire ſolebant
 Blanditiæ, & queruli, Sorte premente, ſoni!
Sæpè ut Pyramus hinc, ut Thisbe conſtitit illinc,
 Inque vicem tractus ſpiritus oris erat.
Quid mihi, dicebant, Paries, quid amantibus obſtas?
 Invide, cur nobis jungere noſtra vetas?
Quantum erat, ô Paries, ut ad oſcula danda pateres?
 Quantum, ut nos totos jungere poſſet amor?

Neve neges, grati tibi nos debere fatemur,
Quod verbis per te detur amica via.
Talia quisque suâ (sed frustra) à parte locuti,
Flebile sub noctem dixit uterque, Vale.
Fleverunt, & mox non pervenientia contrà
Affixit parti basia quisque suæ.
Postera nocturnas croceis Aurora quadrigis
Depulerat tenebras, luce vocante diem.
Mox solito coïêre loco, coïêre querelis,
(Solamen miseris sola querela fuit.)
Denique constituunt, ut tentent nocte silenti
Fallere custodes, & reserare fores:
Cumq; domo exierint, urbem post terga relinquant,
Neve errent, adeant prisca sepulchra Nini.
Ardua morus ibi niveis uberrima pomis
Forte erat: hanc gelidi fontis alebat aqua.
Pacta placent. Atris tardè Nox incubat alis,
Donec ab Occiduis Cynthia surgit aquis.
Callida sub noctem converso cardine Thisbe
Ædibus egreditur, fallit & ipsa suos.
Sic, adoperta suum nigro velamine vultum,
Pervenit ad tumulum Regis, itemque suum.
Fortis amore fuit. Pactâque sub arbore sedit.
En venit en victrix cæde Leæna boum;
Oblita spumanti concretos sanguine rictus,
Vicinis undis depositura sitim.
Hanc procul ad Lunæ conspexit lumina Thisbe,
Atraque sollicito fugit in antra pede.
Dumque fugit, trepidante manu velamina linquit,
Quæ lapsa à tergo sæva leæna videt.

Illa sitim multis postquam satiaverat undis;
Dum redit in silvas, pallia visa petit.
Et prædam spirans tenues laceravit amictus,
Et rarescenti sanguine tinxit humum.
Serius egressus Juvenis vestigia vidit
Horrendæ in putri pulvere certa feræ.
Vidit, at attonitus: totoque expalluit ore,
Pallia quamprimum dilaniata videt.
O miseram (exclamat) Thisben! Sic perdet amantes
Hæc nox una duos. totaque culpa mea est.
Heu, pudet! heu! ego te, te Thisben ipse peremi
Pyramus; & mortis maxima causa fui.
Te jussi, longâ cum sis dignissima vitâ,
In loca per tenebras plena venire metus.
Nec prior huc veni. non est reparabile damnum.
Nostra nocens anima est, ô Mea, cæde tuâ.
O quæcunque istis Tigres habitatis in antris,
O quæcunque sub hac rupe, venite, Leæ.
O vos, qui dominæ lacerastis corpus amatæ,
Huc agite, & corpus jam lacerate meum.
Hæc scelerata fero discerpite viscera dente.
Tune cies tigres, Pyrame, tune leas?
Ignavi est optare necem. Quid dextra, quid ensis,
Brutorum ut malles, Pyrame, dente mori?
Inclinans Thisbes velamina tollit, ad umbras
Mori condictæ pallia nota ferens.
Utque dedit lachrymas, dedit & sua basia vesti,
Nunc haustum nostri sanguinis, inquit, habe.
Quoque erat accinctus sub viscera condidit ensem,
Nec mora, ut è calido vulnere traxit, obit.

Ut cecidit resupinus humi, mox evolat altè;
Ceu jaculatur aquas fistula rupta, cruor.
Arboreæ glandes adspergine cædis in atram
Mutantur faciem, quæ prius alba fuit.
Nam modò ferventi radix madefacta cruore
Tinxit puniceo mora colore sua.
Ecce antro egreditur Thisbe fugitiva, suumque
Ne fallat juvenem sedula, busta petit.
Nunc oculis juvenem, juvenem nunc mente requirit,
Quæque oculis desunt, mente & amore videt.
Nunc narrare, quibus vix effugit illa periclis,
Gestit, nunc toto sperat amore frui.
Utque loca & versas advertit in arbore baccas,
Hæret, sitne eadem, quæ modò visa fuit.
Dum versat cum mente oculos, pulsare cruentum
(Proh dolor!) illa videt pallida membra solum.
Obstupuit, retroque pedem tulit; occupat artus
Oraque, vel buxo pallidiora, tremor.
Ut mare, cum summum tenui perstringitur aurâ,
Æstuat, hæc horret, concutiturque metu.
Sed, paulum remorata, suum ut cognovit amantem,
Percutit indignâ pectora nuda manu.
Dein lacerata comas, complexaque corpus amantis,
Supplevit lachrymis vulnera aperta suis.
Et vultu in gelido figens multa oscula, dixit,
Pyrame, quis mihi te casus ademit atrox?
Pyrame tune taces? responde Pyrame, Thisbe
Te tua, Sponse, vocat; Pyrame, tolle caput.
Morte graves oculos, audito nomine Thisbes,
Pyramus attollit, Morsque reclusit iners.

Illa

Illa ſuam veſtem poſtquam cognovit, & enſe
Vidit ebur vacuum, talia verba refert.
Te tua, Amice, manus; ſcio, te communis amorum
Cauſa dolorque ſimul perdidit enſe tuo.
Eſt manus, eſt & amor, mortem mihi fortis in unam;
Hic dextræ vires, vulneribuſque dabit.
Te ſequar exſtinctum, te, te comitabor ad umbras,
Et dicar leti cauſa, comeſque tui.
Tu, qui à me poteras (heu!) ſolâ morte revelli,
Nec tamen hac ipſa morte revulſus eris.
Hoc unum, ô miſeri noſtri illiuſque Parentes,
Si bene quid merui, ſupplice voce rogo.
Ne quos tantus amor, quos tanta pericula jungant,
Disjungant tumuli, funereique rogi.
At tu, quæ ramis miſerabile corpus opacis
Nunc tegis unius, mox duo, More, teges;
Cædis ſigna tene geminæ, geminique cruoris
Fœtus lugubres, ut monumenta, gere.
Dixit. & immiſit mucronem pectus in imum,
Dum ferrum domini cæde teperet adhuc.
Vota tamen movere Deos, movere parentes;
Nam color in moris hinc niger uſque fuit:
Quodque rogo ſupereſt, tumulo requieſcit in uno,
Una horum cineres continet urna vagos.

BARTHOLOMAEUS BOLK.

FABULA
PYRAMI & THISBES.

PYramus ante alios longe pulcherrimus omnes,
Et Thisbe ſexus fama decuſque ſui,
Ambo Semiramiæ muros Babylonis, & ambo
Limine vicinas incoluere domos.
Hos juvenilis amor paulatim junxit, & alter
Alterius blando captus amore fuit:
Quin etiam thalami ſubiiſſent vincla, ſed eheu
Obſtitit his votis durus uterque parens.
Forte levem paries fiſſuram traxerat olim;
Hactenus à nullo cognita rima fuit.
Hic primum geminis patefactus amantibus error
Se præbet verbis blanditiiſque viam.
Sæpius has tacito volvebant pectore voces:
Quid nobis, paries invide, ſemper obes?
Mutua cernendi detur modo copia vultus;
Non tamen ingratos nos decet eſſe tibi:
Nam tibi debemus, ſupereſt quod amantibus unum,
Poſſit ut alternus verba referre ſonus.
Nox ubi tranſierat, tenebraſque Aurora fugarat,
Cuſtodes ſtatuit fallere quiſque ſuos.
Nocte domos patrias, urbemque relinquere tentant,
Et petere Aſſyrii priſca ſepulchra Nini:
Ut ſedeant tacita viridantis in arboris umbra.
(Candida poma ferens namque ibi morus erat)
Dicta placent: celerique gradu Babylonia Thisbe
Ædibus excedens per loca ſola fugit.

Ve-

Venit & ad bustum, nam velo texerat ora,
   Arbore sub dicta legit & illa locum.
Dumque moratur ibi, carumque exspectat amantem,
   Extinctura sitim torva leæna venit.
Hanc, Lunæ radiis fulgentibus, anxia Thisbe
   Ut vidit, timidos vertit in antra pedes.
Illa fugit, dumque illa fugit, velamina lapsa
   Sanguineo lacerat tincta cruore fera.
Pyramus, exierat qui tardius, ecce reprendit
   Indubitata feræ signa notasque pedum.
Et vestem inventam lacrymis madefecit obortis;
   Sanguine, dicebat, nunc satiare meo.
Mortis ego sum causa tuæ, nam prima redisti
   In loca, quæ rapidis sunt habitata feris.
Idque ego te jussi. Misero quid restat amanti?
   Diripe, siquis ades, viscera nostra leo.
Dixerat & caræ tollit velamina Thisbes,
   Mœstus & ad pactum rettulit illa locum.
Unica nox, inquit, geminos nunc perdet amantes,
   Quorum annis longis dignior illa fuit.
Dixerat, & rigido trajecit pectora ferro.
   Quod trahit è tepido vulnere sæva manus,
Occultus cruor è venis erumpit apertis,
   Ut vitiata leves fistula mittit aquas.
Interea Thisbe, metuens ne perdat amantem,
   E latebris, dubio plena timore, redit.
Dumque hæret, faciem mirata in fructibus atram,
   Ecce videt sponsi pallida membra sui:
Perdidit hoc viso pariter cum mente colorem,
   Tristibus & lacrymis ora genasque rigat.

In-

Indignaſque comas lacerat, ſua pectora plangit,
Et manibus junctis mortua colla tenet.
Pyrame, clamavit, quis nos disjunxit amantes?
Reſponde, & vultus, Pyrame, tolle tuos.
Hic vero ut nomen, vocemque audivit amatæ,
Lumina tollebat, morte ſepulta gravi.
At Thisbe vacuum vagina ut viderat enſem,
Linteaque immani dilacerata fera:
Te tuus, inquit, amor, nimius te perdidit ignis.
Suppetet hic vires, & tua fata ſequar.
Noſtra vel invito jungentur corpora Letho:
Namque ego funeſtæ ſum tibi cauſa necis.
Hoc tamen amborum nobis concedite patres,
Unica poſt mortem contegat urna duos.
Tuque, unum corpus ramis quæ contegis, arbor,
Continuo geminum ſanguinolenta teges.
Et vos, purpureum ſemper retinete colorem,
Mora, meæ deſint ne monumenta necis.
Dixerat, & tepidum per coſtas exigit enſem.
Moverunt patres & pia vota Deos.
Corpora namque uno ſunt condita bina ſepulcro,
Moraque, ſanguineo tincta colore rubent.

ADRIANUS REELAND.

F A-

FABULA
PYRAMI & THISBES.

PYramus & Thisbe præſtantes dotibus ambo,
Poſſet ut ille Deos, hæc ſuperare Deas;
Altam ubi conſtruxit famoſa Semiramis urbem,
Ambo contiguas incoluere domos.
Excitat illorum primam vicinia flammam:
Exiguo magnus tempore crevit amor.
Attamen inviti fruſtra reſtinguere tentant,
Quod vigili curâ non potuêre, patres.
Triſtitia parili, parili carpuntur amore,
Verba oculis ſignant indicioque manûs.
Quoque magis tegitur, quanto ſe fortius ardor
Elevat, & furti conſcius omnis abeſt.
Forte erat in muro, longo quod nemo notarat
Tempore, furtivis commoda rima dolis.
Hanc primi inveniunt juvenes, dũ cuncta pererrant,
Et voci faciunt colloquiiſque viam.
Sæpe ubi conſtiterant diverſis partibus ambo,
Inque vicem tenui murmure verba dabant.
Quid miſeris, clamant, miſeris quid amantibus obſtas,
O noſter, paries pernicioſe, dolor?
Corporibus totis prohibes qui corpora jungi,
Mutua cur nobis oſcula ferre negas?
Da tantum hoc miſeris, tibi nos debere fatemur,
Reddemus merito munera digna tuo.
Sæpius hæc fruſtra geminant, dictaque ſalute,
Irrita dant parti baſia quiſque ſuæ.

Po-

Postera depulerat vix Lucifer aureus astra;
Vix Aurora suum liquerat alma torum,
Cum solitam peterent rimam, queruloque susurro
Implerent mœsti parte ab utrâque locum.
Constituunt patrias sedes, urbemque, domumque
Deserere, & tacita fallere nocte suos.
Neve suburbanis quisquam tardaret in arvis,
Regia conveniant ad monumenta Nini.
In viridi lateant ripâ sub tegmine denso
Arboris. Arbor ibi candida morus erat.
Jamque orbem nox atra suis contexerat alis,
Merserat Hesperios sub mare Phœbus equos.
Illa suos placido cernens succumbere somno,
Clam reserat clausas, egrediturque, fores;
Mœnibus egreditur, facie velamine tecta,
Et prior ad fontem, dictaque busta venit.
Vix lætum timidâ depressum est virgine gramen,
Vix pactæ Thisben arboris umbra tegit,
En celer ad lymphas properat, lassata recenti
Cæde boum, gressus torva leæna suos.
Quam procul ad nitidæ prospexit lumina Phœbes,
Et sola admisso fugit in antra pede.
Dum fugit, ex humeris sinuabant obvia vestem
Flamina, qua vultum texerat ante suum.
Invenit hanc, multâ satiato gutture lympha,
Atque cruentato bellua dente notat.
At fera dum silvas repetit, repetitque rapinam,
Serius egressus Pyramus, ecce, venit.
Certa suæ Thisbes, vestigia certa leænæ,
Tramitis in summo pulvere pressa, videt.

Haud

Haud aliter ſtupuit, quam quem Gangetica tigris
Obruit in media, dilaceratque, via.
Aſt ubi progrediens infectum ſanguine amictum
Repperit, interimet nox, ait, una duos.
Proh cœlum! exclamat, quis te mea ſola voluptas
Perdidit? ah vitam perdat & ille meam!
Væ mihi! qui ſolam te in tanta pericula miſi,
In loca plena metus, nec prior ipſe veni.
O quicunque ſub his habitatis rupibus urſi!
O quicunque ſub his rupibus eſtis apri!
O quæcunque feræ noſtros laniaſtis amores!
Vos quoque nunc pectus dilaniate meum.
Ut vero ad pactam velamina contulit umbram,
Ut multas lacrymas, oſcula multa dedit.
Pollue nunc, dicit, noſtro quoque ſanguine fauces;
Et ſtricto pectus perfodit enſe ſuum.
Nec mora: deficiunt crudeli vulnere vires,
In molli poſuit membra ſupinus humo.
Sic cruor exiliit, ſciſſo ceu fiſtula plumbo
Sibilat, & longas ejaculatur aquas.
Imbibit & tellus, radix bibit ima cruorem;
Moraque ſanguineo tincta colore rubent.
Jamque metu nondum pulſo, ne fœdera rumpat,
Ne ludat juvenem, læta puella redit.
Aſt ubi Pyrameo mutatos ſanguine fructus
Cernit, in ignoto ſe putat eſſe loco.
Et vaga dum dubitans huc lumina volvit & illuc,
Tundere conſpexit membra cruenta ſolum.
Lurida virgineos formido concutit artus:
Pallidior buxo pallor in ore ſedet.

Sæ-

Sæpius indignis pulſat ſua pectora palmis,
Evellit crines, ſauciat ungue genas.
Mox dedit amplexus, gelido dedit oſcula amanti,
Supplevit lacrymis vulnera ſæva ſuis.
Pyrame, clamavit, tua quis præcordia mucro
Transfixit? cujus dic, precor, enſis erat?
Pyrame reſponde, Thisbe, tuus ignis amorque,
Te vocat, ah oculos, Pyrame, tolle tuos!
Tollère dum juvenis morientes tentat ocellos,
Ultimus è rigido ſpiritus ore fugit.
Mœſta gemit Thisbe, geminat fletuſque preceſque,
Sed precibus quiſnam fata movere queat?
Ut vero amiſſam veſtem ſpectabat, ut enſe
Crudeli vacuum conſpiciebat ebur.
O tua te, clamat, tua te manus ipſa peremit,
Te tuus in Thisben ipſe peremit amor.
Perſequar exſtinctum, capiunt me tædia vitæ,
Unica mœrori mors medicina meo eſt.
Vos tamen, ô patres! faciles eſtote bonique,
Noſtra uno pariter membra cremate rogo.
Te quoque, More, precor, miſerandæ conſcia cædis,
Sint fœtus teſtes tempus in omne tui.
Sit color in fructu miſeris lugentibus aptus,
Tu ſemper gemini ſigna cruoris habe.
Hæc ubi dicta dedit, mucroni à cæde tepenti
Incubat, & ſponſum ſponſa ſecuta ſuum eſt.
Eveniunt optata, duos una accipit urna,
Et niger in pomo eſt, candidus ante, color.

ABRAHAMUS LAKENS.

IDEM,

In usum

Studiosae Poëtices Juventutis,

Tentatum à

PETRO FRANCIO.

Urbs erat (hanc muris cinxisse Semiramis altis
 Dicitur) Assyriæ nobile gentis opus.
Pyramus, & cunctis Thisbe prælata puellis
 Illic contiguas incoluere domos.
Notitiam tenero vicinia fecerat ævo:
 Creverunt anni tempore, crevit amor.
Et jam solennesque faces, thalamumque jugalem,
 Castaque connubii vincla parabat Hymen.
Nequicquam vetuere patres. Par ignis utrique,
 Et geminis idem mentibus ardor inest.
Verba supercilio reddunt referuntque loquaci,
 Signaque non tacitæ pondera vocis habent.
Quoque magis tegitur, magis æstuat, & magis ardet,
 Perrumpitque obices, flamma retenta, suos.
Forte fuit paries, domui confinis utrique,
 Parvaque, diducto pariete, rima fuit.
Viderat hoc vitium (quid enim non ille videret,
 Omnia vel cæcus qui videt?) acer Amor.
Constitit hinc Thisbe Babylonia, constitit illinc
 Pyramus, invento lætus uterque novo.

Murmure blanditiæ tenui, mollesque susurri
Transibant ista, tutaque verba, via.
Ah paries, votis paries ô invide nostris,
Et tu, clausa nimis rima, parumque patens,
Quantũ erat, ut sineres, cupidos conjungere amantes
Mutua brachiolis brachia, labra labris?
Nec sumus ingrati, paries, tibi: muneris omne,
Transitus alloquio quod datus iste, tui est.
Talibus atque aliis consumpto tempore verbis,
Sub noctem querulum dixit uterque Vale.
Dixit, & oppositam non contingentia partem
Impressit muro basia quisque suo.
Posterus Eoo surgebat ab æquore Titan,
Ad solitum redeunt parte ab utraque locum.
Postq;moræ minimũ,post murmura parva,paternam
Linquere constituunt, nocte silente, domum.
Nox erat: egreditur patrio de limine Thisbe,
Venit & ad tumulum, Rex Nine, prima tuum.
Ecce venit, satiata boum modo cæde, leæna,
Vicino cupiens fonte levare sitim.
Adspicit hanc, Lunæ radiantis munere, Thisbe,
Proximaque attonito fugit in antra pede.
Ut bibit, ore leo tenues discerpit amictus,
Elapsos humeris forte, puella, tuis.
Tardius egressus vestigia Pyramus alta
Conspicit horrendæ, tristia signa, feræ.
Conspicit & vestem: conspecta veste, Quid, inquit,
Exitio nox hæc una duobus erit?
Illa quidem vita dignissima: solus obire
Quam merui mortem crimine dignus ego.

Ille ego sum, qui te, mea lux, mea vita, peremi.
Culpa mea est, Thisbe, non tua; culpa mea est.
Debueram tibi nocturnas comes isse per umbras:
Debueram pacto primus adesse loco.
Nostra cruentati discerpite membra Leones:
Viscera silvestres rumpite nostra feræ.
Dum loquitur, caræ tollit velamina Thisbes,
Oscula dat, lacrymis & rigat illa suis.
Tingere nunc nostro quoque sanguine, tingere vestis,
Nec tantum lacrymas imbibe, terra, meas.
Dixit, & eductum demergit in ilia ferrum,
Et gemino madidam sanguine plangit humum.
Candida purpureum morus traxisse ruborem
Creditur, & fœtus commaculasse suos.
Ecce redit nondum posito trepida illa timore,
Vestigatque suum mente oculisque virum.
Utque locum, faciemque loci, pomique colorem
Spectat amans, hic sit nescit, an iste locus.
Dum dubitat, pulsuque pedum tremit undiq; tellus,
Ipsa tremit, buxo pallidiorque fugit.
Ut vero propius dilectum agnovit amantem,
Obstupuit, nullos & dedit ore sonos.
Verberat inde suos multo plangore lacertos,
Ungue secante comas, ungue secante genas.
Edit & has voces mæstissima. Quis mihi casus,
Pyrame, quis mihi te casus ademit? ait.
Pyrame responde, responde Pyrame, Conjux
(Quid retices?) Conjux te tua, Sponse, vocat.
Pyrame, te Thisbe tua nominat: erige vultus
Ad tibi dilectum nomen, amate, tuos.

Ad nomen Thisbes, media jam in nocte natantes,
Sustulit ille oculos, ingemuitque, suos.
Illa autem vestesque suas ut vidit, & ensem,
Hoc tua te, dixit perdidit ense manus.
Ipsa sequar: me coget amor, me dextera coget,
Fortis in hoc unum dextera, fortis amor.
Caussa comesque tuæ dicar necis, ipsaque tecum
Ibo per infernos flebilis umbra lacus.
Nec mihi te, poterat quæ te mihi tollere, tollet;
Quemque ferox rapuit mors mihi, reddet amor.
Vos tamen, ô miseri nimium nimiumque parentes,
Ultima ne miseræ verba negate mihi.
Et quoniam nos junxit amor, nos funera jungunt,
Idem nos cineres jungat, & ossa, locus.
At tu, cara, meos quæ nunc tegis, arbor, amores,
Moxque tua extinctam me quoque fronde teges.
Signa tene luctusque tui, casusque nefandi,
Et rubeant gemino poma cruore tua.
Dixit, & incubuit ferro de cæde tepenti,
Pyrameoque suum trajicit ense latus.
Vota suos habuere Deos, habuere parentes,
Nam niger in pomo est sanguineusque color,
Quodque infelici de funere restat amantum
Communis gremio continet urna suo.



